

3

EPISTOLA

ERASMI ROT. DE APO,

LOGIA P. CVRSII.

PETRI CVRSII IVDICIUM DE

ERASMI EPISTOLA



M . D . X X X V .

EX EPISTOLA . D. ERAS. ROT.
ad Reuer . & Nobilem . D. Ambrosium
de Gumpenberg Excerpta .

Apologią Petri Cursii non legi , nec est animus lege
re , pauca loca carptim degustavi , ex quibus
rei summam depræhendi . Mitto nunc
schedam , e qua dilucebit homi
nis ingenium .

INDICIUM . D. ERAS. ROT. DE
A Apologią Petri Cursii .

E Petri Cursii libro pauca loca degustavi uerius
q̃ legi . Video Romæ esse quosdam male feria
tos : quibus non satis est licentia Pasquillica , sed sub
inde alios subornât , quorum uel dolore uel stultitia
fruantur . Qui instigarunt Cursium , ab iisdem ar
bitror confictam Epistolam meo nomine , quo sibi
conduplicarent eam uoluptatem . Summa argumē
ti sumpta est e duobus uerbis non intellectis . In pro
uergio Myconius Caluus , Indico Terentium face
te pro caluo dixisse crispum . Ridet , n. ibi Pamphi
lus seruum , quem ablegat , & addo , perinde quasi q̃s
Scytham dicat eruditum , Italū bellacem . Scythæ
ob naturæ feritatem contemnunt Philosophiam , ac
liberales disciplinas , omne studium in armis est . Ita
li colūt eloquentiā , & ingenuas artes , quæ pacis alū
næ sunt . Cursius putat Iudis esse dictū bellacem , quū
in uitium sonet , Bellare medium uerbum est , quem

admodum edere, bibere, loqui, at bellacem esse barbaricæ immanitatis est, quemadmodum edacem, bibacem & loquacem esse, uitiosum est. Thraces dicuntur bellaces, de quibus Horatius. Otium bello furiosa Thrace. Ex is uerbis perperâ intellectis Cursius assumit, me oëm laudē bellicā uniuerfis Italis ad emisse, eos nulla arma tractasse, nulla uidisse, Gāphante ipso oïum mortaliū ignauissimo Italū esse ignauiores. Imo q̄ minime bellaces sunt, fere dexterrime gerunt bellum. Vtinam nostra Germania & Heluetia minus esset bellax. Cursius obiicit mhi magnum Catalogum bellatorū Italiæ, quasi id non potuerim de priscis discere, e T. Livio, Plutarcho, & Salustio de recentibus, e Blondo. Vides quam stiuolo fundamento quantā maladicentiæ molem superstruxerit Cursius. Sed hæc fuerit qualiscunq; OCCASIO, at citra omnem oceasionem addit, quod omneis Italiæ doctos præ me fœni, caniq; faciam. adiicit argutū quiddā: quemadmodum mhi certo persuasi, me totam eruditionis laudem Italis prærepuisse, ita hoc conari, ut persuadeam orbi, quicquid est laudis bellicæ per Germanos Italis esse præreptum, Obsecro quid frontis, aut mentis habent hæc uerba? Ego ut belli gloriam Italis nec asserui, nec ademi, ita de Italorum ingeniis semper magnifice & sensu: & predicavi, non oratione tm̄, uerum mentiā scriptis. Quod si Cursius existimat uniuersam Italiā esse uiolatā, si q̄ aliquid notet in Italorum moribus, quid faciet hominum fabulis, quas passim uulgo iactant, qui uixerunt apud Italos? Pertexit Cursius ingentem cas-

Aij

talogum eorum, qui apud Italos uel eruditione præcellunt, uel magnam de se spem prebent. Id si facit, ut me doceat, rem officiosam facit. sin ut urat, rem absurdam facit. Equidem arbitror longe plures esse in Italia, quæ iste recenset. Porro quod minatur quosdam aliquando plura edituros in lucem, quæ ego edidi, & fortasse digniora, non potui, fateor, absque risu legere. Atqui si Cursus uelit omnes nationes tam magnifice de Italorum ingeniis sentire, alia proferat oportet, quæ hic est Cursi libellus. Risi & illud, quod ait me latini sermonis puritatem debere Italiæ, magistro, ut opinor, Aldo. id hausit e scriptis Pii, Quum ego melius calluerim latine Italiã ingrediens, quæ nunc calleo, quam quæ hoc ipsum perpussillum est, addam quiddam arrogantius, sed uerissimum, me decem annis Aldo potuisse magistrum esse in latinis literis. Obicit quod in scriptis meis Paulum Apostolum appellari Phanaticum, quod de Ioanne Euangelista scripserim meros crepat mundos: cum nihil horum sit in scriptis meis, sed hæc impudentissime mentius sit Lutherus, quod ille sibi permittit, quoties fermento intumuit animus: si legit Lutheri calumnias, debuit & meam legere responsionem. Qualis autem est illa uehementia, quæ adhibetur manifestis mendaciis aduersus Erasmus: qui odit, & inuidet uniuerfis Italis, qui eis ademit uniuersam & belli, & eruditionis laudem, qui tot strenuos duces facit ignauissimis ignauiores, qui omnes eruditos præ se cœni, scœni quæ facit: qui tam impias uoces euomit in apostolos, Atqui hic Erasmus nusquam est, Proinde hic tragicis uerbis in

tonare, minimum abest ab Aiakis imagine porcos
 pro uiris cedentis. Atq; hic libellus uisus est dignus
 qui Romæ excuderetur, atq; a deo summo pontifici
 dicaretur. Cuiusmodi uero exemplum est, effingere
 manum meam, & epistolam meo nomine confictam
 in urbe spargere. Huiusmodi monumēta nobis mit-
 tunt Italiæ docti, quæ nec ad pietatem, nec ad erudi-
 tionem conferrunt quidq; : ad rixas & seditionē plu-
 rimum. Sunt etiam in Germania qui possent ad istū
 modū ludere, si tantundem adesset uel stulticiæ, uel
 improbitatis.

NICOLAO RODVLFO CAR.

Ampliss. P. Cursus, S. P. D.



RASMI de me, uel
 in me potius, utinā nō
 in omnes simul Italos
 Ep̃lam, ideo tuæ ampli-
 tudini, ut primū illius le-
 gēdæ mihi facultas fuit,
 misi : & quod tu, ut ita
 facerem, illis mihi literis
 imperasti, quibus defen-
 sionem meā (ut ad præclariora credo me inuitares)
 ita egregie laudasti, ut summam tu quidem in ea sis
 laudanda laudem consecutus : & quod tu in isto nūc
 es secessu, ubi senatorijs muneribus uacuis comode

legere, ac eruditissimo, tibiq; fidissimo Rutilio mandare poteris, ut quid de Erasmi de mea oratione iudicio, & epistola sentias, mihi literis significet. Is enim cum apertissima, indignissimaq; ignominia omnis æui Italos milites affecerit, a me longa oratione amice monitus, ac urbane reprobatus, prius peccatum ita ancipiti, ac captiosa unius uerbi definitione diluere, meq; illo, quo maxime ualere, uerbo, præmere est cõatus: ut dũ alterũ purgare tẽtauerit i alterũ incidere. Bellacis, n. uerbi me intelligẽtia spoliare aduersus, belli dexteritatẽ Italis inuitus, ueluti e quæstioẽ, e tormentis restituit. Nã (ut paulo atẽ posuerat) Italos eloquentiam, ac ingenuas artes pacis, non belli, alũnas colere: sic non multo post addidit, se bellicam Italis laudem, neq; adimere, neq; asserere: Eiusq; ita oratio titubat: ita sententia claudicat: ut quid sibi uelit, ne ipse quidem e, suis uerbis intelligat: Non eo tamen est ingenio, ut quid uelit, nõ intelligat. Posuissẽ tamen hanc hominis ancipitem confessionẽ, nouumq; peccatum dissimulare, meumq; hũc respondendi laborem subterfugere: si sola mea unius tantũ uerbi, ut a me non intellecti nota, litem hanc cũ Erasmo transigere, ac decidere ualuissẽ: ac si is modestia, ac eloquentia mecum, ut debuit, non contumelia, & dispiciencia, ut cum omnibus consueuit, disceptasset: nec priori contumeliæ nouam akeratm lōge grauiorem addidisset: At quoniam Erasmi definitio si neglecta, inreprehensaq; præterisset, neq; a, me, ad quem præcipue pertineret, fuisset rationibus refutata, ac exemplis reiecta: facile ijs, qui

nondum altas, fidasq; in Literis radices egissent, imponere potuisset: (potuisset autem) quæ iâ est multorum de illo homine opinio, nisi illi, seu cuicunq; ita scriber audenti respôdissem: ego omnino me operæ precium facturum duxi, si responderem, simulq; ostenderem, non sic bellacem, emacem, uendacem uitium sonare, ut furacem, fugacem, edacem, bibacem, loquacem sentit, statuit, decernit Erasmus. Nâ licet omnia huius generis uocabula eodem modo auiditatem, studiumq; eius, quam horum unumquodq; significat, rei, significant, non eodem tamem modo turpidinem habent. Quæ enim illam habent, non terminationis, sed uerbi, unde illa ducuntur, natura & uitio habent. Ut enim homo uerax nulli bono uiro non est gratissimus: Tellus ferax omnibus est colonis optabilis: Vendax paterfamilias Catoni est probatus: bellax miles nulli non Duci necessarius, sic contra fugax legio exautoratur: furax seruus rehibetur: loquax uirgo improbatur: edax hospes excluditur: bibax uxor ut adultera condemnatur. Erasmus uero bellacem, e, quo uno uerbo, nō uerbi, sed grauissimæ rei causa omnis nostra est orta contentio, ita ambigue, ut dicebam, ita perperam est interpretatus: ut uel ipsi pueri, qui non infeliciter grammaticam sunt amplexati, pueri id magis inepte, impudenterq; mentientis, q̃ senis diserte, uereq; definire scientis esse cognoscant. Quis, n. quantūuis differendi rudis ita argumentaretur: Thraces dñr bellaces, Thraces autem ab Horatio bello furiosi dicuntur: igitur bellacem esse barbaricæ est immanita-

nitatis. Quod suum argumentum si uitiosum neget
 Erasmus: meum hoc geminum, & q̃ similitū, qđ
 de se audiet, uitiosum neget oportet. Erasmus dici
 tur Theologus: Erasmus autē a Lhuthero male The
 ologiam literis, male moribus persecutus dicitur:
 Igitur Theologū esse, improbā est inscientiā. Quod
 non ideo tamen exemplum apposui, ut Erasmi im
 probitatis arguam, aut ignorantia conuincam: sed
 ut illum admoneā me a Dialectico ueritatē, a Theo
 logo sanctitatem, a Grammatico latinitatem, a scri
 ptore fidem, a sene prudentiam præcipue desidera
 re: Rursus quis tantū suæ sententiæ arroget, ut Thra
 ces ideo immaniter, ac barbare manus cōserere pro
 nunciet, quod illos furore in prælium agi Horatius
 cecinerit: quasi non costaret ita illos in re bellica ex
 celluisse, ut merito illis belli Deus sit præfuisse existi
 matus. Quasi furor semper sit inanis, semper Bar
 barus, nec aliquando etiam in sapientes cadat: qui
 porro, si semper alias culpa non uacet, in bello qui
 dem certe persæpe est laudabilis: est plerumq̃, est se
 re semper necessarius. Quam enim aliā ob causam
 Belli portæ cum Romæ occludebantur: furor impi
 us intus sæua sedens super arma, & centum uinctus
 ahemis post tergum fremuit nodis, maduitq̃ cruore:
 nisi quod Itala, q̃ Latina, q̃ Romana castra, & bel
 la, furor bellicus comitabatur: ad uirtutem acuebat,
 ad uictoriam accendebat. An cum Poeni (ne de
 alijs bellicosissimis nationibus loquamur) toties Ro
 manos strauerunt: cum contra Romani toties uicti,
 toties uictores Poenos ceciderunt, tantumq̃ uix tās

in rebus

dem bellum confecerunt, sine bellico furore utrosq;
 armis cōtigressos putet Erasmus? An cum proximis
 diebus Carolus Romæ Imp. Cæsarū Augustissimus
 Africam terra, mariq; obsedit, terra, mariq; de-
 bellauit, nec Europam modo in una Africa ingenti
 periculo liberauit: sed Asiam quoq; subito, grauq;
 dolore simul, & metu consternauit, Italos, Hispanos,
 Germanos Cæsaris milites, ipsos præterea Ita-
 los Cæsaris Duces, mari alterum, terra alterum inue-
 tissimos, in tam difficili, tam longinquo bello, tam
 incommodo tempore, tantaq; celeritate discusso, nō
 eodem bellico furore percitōs? non eodē oestro Mar-
 tio stimulatos hic idem putet Erasmus? Qui sane, si
 diligenter (ut debuit) considerasset, sic ipse furorem
 belli, ut Peripatetici iram, fortitudinis, eōrem censu-
 isset, statuissetq; simul, sic bellum sine furore geri, ut
 corpus sine anima uiuere non posse: sed, ne belli fu-
 tor nos longius trahat: quis est ludi magister in cuna-
 bulorū grāmatices tam inanis? qui bellare, ut bibere/
 edere, & loqui uerbum medium cogitet? cum contro-
 uersa res non sit, ea uerba esse media, quæ duas
 res inter se diuersas, ac plane contrarias capiant, ac
 propterea ancipitia uocari: uti ualeo, ualetudo,
 patro: dolus, facinus, tempestas, & (si Q. Metellū
 Numidicum pro suo Triumpho dicentem non sper-
 nimus) honor. Sunt & quædam alia huius notæ uer-
 ba, quæ quod notiora sunt, q̃ ut hic referri oportet
 at, silentio transibimus. Noster uero Erasmus non
 modo bellare, ut bibere uerbum medium, sed sic bel-
 lacem barbaricæ esse immanitatis, ut bibacem in ui-

B

titum sonare contendit. In qua una re puram ne la-
 tinitatem magis dubites corruptam? An manifestā
 ueritatem magis labefactatam obstupeſcas? Nam
 si Ciceronem, illiusq; ætatis ſcriptores præcipue imi-
 tandos ducimus: ægre illos, ſonat in uitium, ſcrip-
 ſiſſe comperies: ſed ſonat pingue, ſonat peregrinū:
 ſi manifestam ueritatem custodiendam, nulli prope
 non eſt manifestum, bellatorem, bellicoſum, bellatri-
 cem, bellacem uirtutis eſſe uocabula: bibonem, bibo-
 ſum, bibacem intemperantiæ. An alia nos ratione le-
 gum latores motos exiſtimemus? q̃ ebrios, cum deſ-
 liquiſſent duplici pœna multandos ſtatuerunt, q̃
 quod homines, quo ſe largius uino inuitant, auidi-
 us ingurgitant, eo ad probra: uariæq; flagitia, ad
 quæ illos ſua ipſorum ſponte cōparata temulentia
 ipellat, prouiores, prōptioresq; euadant: Cū cōtra
 ardētius pugnātes, ac pertinacius bellātes, & premijs
 augeant: & præconijs exornent. Idq; ſapientiſſime:
 ſiquidē quo conſtantius bellent, ac ferocius prælien-
 tur: eo plerūq; uirtuti, & uictoriæ uiciniſſe appropin-
 quant. Niſi forte uitio, & barbaricæ immitati illis
 fuit militibus, qui ad Thraſumenum ita pertinaci-
 ter conflixerunt, ut ne terræ quidem motum ſenſe-
 rint: quo magnarum urbium partes collapsas, mon-
 tes prorutos, mare fluminibus inuectum legimus.
 Niſi forte & Romanos, ſi Romanos Etas mus Italos
 eſſe concedat, raro bellaces fuiſſe iudicat: quod & ſi
 ſæpe prælio uictos: nunquam tamen multis ſæculis
 bello fractos non ignoret: Erasmī tamen inanis uerū-
 ſus excuſatio, q̃ probabilis interpretatiō adeo uerax

adeo efficax uisa ē Ambrosio Gumpferbeg, ad quē
 Erasmi est epistola, ut dignam putarit, quā in Vrbe
 Roma, non ut Erasmica, sed ut pythica ederetur, ac
 uulgo uenalis, ueluti aurea circumferretur. Cui ut
 Germano, Germani, & amici causam fouenti: non in
 titus ignoscas. Illos uero Italos, & si pauci admo-
 dum sunt, quo animo feras? qui quo soli sapere uide-
 antur: non modo Erasmi definitionem laudant, li-
 cet non probent: sed ne maledictis quidem prouocā-
 tem Erasmus, rationibus refutandum pradicant,
 hominis maledicentiam: etiam in mendacio metuen-
 tes: Perinde quasi maledicum metuere, non sit mille
 maledicos creare. Ego uero neminem tam seuerum,
 tam constantem rear, qui, quum in uno uerbō: quod
 a me intellectum negat, non unum: sed plures illius
 errores deprehenderit, non irrideat tam temere errā-
 tem: neminem tam mansuetum, tam mitem, q̄ alios
 nō in alieno, sed in suo peccato obiurgantem, nō acri-
 ter corrigat, quiq̄, a iurgijs temperet: cum ueteri,
 & publicā ignominia, nouam ea tantum re superad-
 ditam intelligat: quod ea, non, ut debuit, aculeata: sed
 comi fuerit oratione expurgata: De qua quoniam
 paulopost, nunc ad id, quod omiseram, redeamus
 Quis igitur uel si bellare uerbum medium esset: me-
 dium, & anceps, & commune uerbum, in re una:
 certa, & seria non uitasset? Quis ante Erasmus Ger-
 manū Italos raro bellaces unq̄ dixit: ne dum literis
 tam confidenter consignauit? Nemo quantum lege-
 rim, quantum audiuerim. Nam, ut omnium mor-
 talium consensu est corroboratum: Pœnos raro esse

fabiosi, Scythas raro eruditos: milites raro pios, mer-
 catores raro integros, fidei namque ante Erasimum
 est proditum, nedum ab omnibus receptum. Italos
 raro esse bellaces: Nisi Erasini iam tanta sit autori-
 tas, tanta sit dignitas: ut ea cunctis sit gentibus pro-
 naturæ lege iudicanda: An id ætatis uir tot lectis
 Græcis: & Latinis scriptoribus, tot suis iā editis scrip-
 tis, scire non potuit Romani proprium fuisse sub-
 iectis parere, & superbos debellare: Id est sane, ele-
 mentiam cum obsequentibus, fortitudinem cum re-
 pugnatibus, immanitatem cum inanimis, nō ut
 facerent, sed ne seruirent exercere solitos. At si lapsus
 est sententia, & uerbi significatione, non lapsus
 est uerbi usu: certe non lapsus: si bellax a Sallustio,
 a Liuiio, a Cicerone, a Casare sit, quod ad huc qua-
 ro, usurpatum mihi profecto, quibus Latij sermonis,
 cultus est cutæ, ac bonorum Autorum consuetudi-
 nem legem existimant: pugnam adamant, fugiunt bel-
 lax: nequā hac uoce barbaricæ immanitatis uim, sen-
 sum ueitantes: sed in Analogia consuetudinē, nō
 legem sequentes: ut pote quæ nō rationibus: sed op-
 timorum scriptorum exemplis nitatur. Vides igitur
 Erasini omni ex parte doctissimi in uno uerbo, non
 unum, sed plures, nec cordis modo: sed & linguæ
 errores manifestissimos: sed esto sit bellax, a uerbo
 medio, & quod, a medio, & ancipiti est uerbum, in
 una, & certa re sit recte, sapienterq; positum, sit &
 a multis usurpatum, quod est auctoritas pro ratione
 habenda: sit præterea ab omnibus mortaliis recep-
 tum, Italum raro esse bellacem: quis unquam æte-

Erasmus somniavit bellacem barbaricam esse inma-
 nitatis. Nam si analogiam probamus, sic bellax
 uox erit honestissima, ut honestissima & pugnax, cu-
 prope idem sit sensus in utraque eadem certe propor-
 tio, Nisi forte gentem qui dixit pugnacissimam, im-
 manifeste pugnantem intellexit. Quis demum, uel
 si bellax esset barbarica inmanitatis uerbum tot sa-
 rata uirtutis exemplis, unum hoc tantum infrequen-
 tioris uitij interposuisset, ego certe rarioris uirtutis,
 non infrequentioris uitij interposuissem. Sed licue-
 rit Erasmo expediendae salutis causa, ex ea, in qua
 ueluti piscis se imprudens inclusit nasa, quacumque po-
 tuerit nasa, exitum tentare. In uerbo uero respicit quod
 alterum a me uerbum innuit magis quam indicat, non
 esse intellectum, non debuit putare, ideo a me non
 intellectum, quod qui non inquinati locuti sunt, res
 demorsum sapit unguem, non de ungue, & uinum
 picem respicit, non de pice, loqui sapiens, ac forsan sem-
 per consueuisse. Quos si imitatus fuisset Erasmus,
 pro uerbum respicit rara inuentu, non de raris loqui
 maluisset, Quod ego ideo in mea defensione intac-
 tum, inreprehensumque reliqui, & quod mihi erat cu-
 illo de re grauior, non de huius uerbo dissentio, & quod
 periculosum esse uidebam hoc: ut & bellax, & sonat
 in uitium: & assero tibi laudem, nunquam a bonis
 scriptoribus dictum obstinate affirmare, quod nun-
 quam dictum meminissim, quis enim omnia memine-
 rit? Adde, quod id munus magis esse uidebam
~~non inueni~~, aut Quidij Nucem (si ea sit Quidij)
 interpretantis, aut sparsa prouerbia in unum cor-

pus, tam curiose, tot annos colligendis, toties emē-
dantis, toties augentis, toties edentis, q̄ Patriæ gē-
tis bellica decora grauitē, ornate, copioseq̄ tueri:
& ab indigna nota quamprimum vindicare molien-
tis. Quos errores huic forsan aliquis condonarit, ut
homini cum Cicerone: cumq̄ omnibus illius sæculi
scriptoribus non obscuras similitudines gerenti, nullis
q̄ se bonorum autorum scriptori præcipue addicen-
ti: illud uero quis largiat̄ seni tā pueriliter credeti: tā
iuuēniliter cōtēdēti, tā uiriliter reprahēdenti, me in-
stigatū cōtra se scripsisse, nec duo uerba, q̄busois cau-
sæ uis cōsisteret, intellexisse? Nam si me ab indoctis
instigatum uelit, cur eos male feriatos appellat? qui
me ad publicæ ignominia refutationem, quam præ-
stare iphi nequirent, pie, iusteq̄ inflammarent? Si, a
doctis, eos multo minus iurē reprahēdat, Quibus
hortatoribus, & adiutoribus simul, causam publi-
cā animosē suscipere, susceptam fortiter, pruden-
terq̄ tueri: & ea uerba, quæ duo, a me intellecta ne-
gavit, facile intelligere potuerim. Sin uero, ne a doc-
tis quidem instigatoribus meis intellecta dieat: tunc
ego illi contra ita respondeam. neminem ex ijs, qui
Romæ bonas literas profiteatur, esse: qui illa aliter
atq̄ ego, intelligat: ut sine contumelia, quæ illi, ut
sanctissimo Theologo est peculiaris, mihi pronun-
ciare liceat: aut Romæ neminem tanti esse, qui ea,
quæ Erasmus scribat, recte intelligat: aut Erasmus
facere: nā intelligendo, ut q̄ minimum intelligat. Et
illos tu Italos licet paucissimos, licet uix duos, Prin-
ceps optime non mireris simul, ac doleas? Erasmo:

licet cum Erasmo non sentiant, fauere? publicamq;
 causam priuato ueneno quoad eius facere potuerūt,
 labefactare: uel propter tot simul, quos Tu melius
 q̃ ego, nosti errores, uel quod eos duces, quos nos
 ista ætate floruisse scripserim, quos tamen scripsisse
 noluerim, quod longe plures sunt præteriti: q̃ enus
 merati, eos Erasmus e, Blondo, quem longe antea
 mortuum constat, quam illorum quisq; sit natus: se
 discere potuisse tam oscitanter: ne dicam stulte, iac
 tauerit: uel deniq; quod suæ gentis desertor, suæq;
 causæ tergiversator repente factus: ut Italorum mi
 litum, & eruditorum hominum inuidiam declinaret,
 ueluti uaserrimus transfuga, suorum Germanorum
 militiam eleuauit: extulit Italorum, tum in armis dex
 teritatem, tū in eloquentia: & in reliquis artibus inge
 nuis præstantiā, mox uero suæ laudis Italo tributæ
 oblitus: nō oblitus tū sui, eiusmodi monumēta ab Ita
 liæ doctis in Germaniā mitti tradit, quæ neq; ad eru
 ditionem conferant, neq; ad pietatem: Quod ego
 mea illum, non aliorum Italoz causa publicare aus
 sum suspicarer, si huius me culpæ affinem cōminisci
 ulla probabili ratione posset: cum ipse non inficiet,
 eam epistolam ab illis: quicunq; fuerint, fuisse Eras
 mi nomine confictam, non ut Erasmo: sed ut mis
 hi otiosi negotium in negotio facerent, utq; me ab
 illa edenda, quæ contra Erasmus esset, defensione
 auerterent, sed stulti leonem larua terruerunt. Aut
 si ego, quod ad religionem pertinet, aliquando fuis
 sem infimulatus, eam, seu uiuendo non rite coluisse:
 seu scribendo nō pie tractasse: Aut si Is (quod legē

tibus patet) in suis dialogis , quos se colere profite-
tur diuos / non ipys saepe iocis perstrinxisset / neq; in
illorum contemptum plerumq; legentium infirmio-
res animos rapuisset: Quod flagitium nō est cur ex-
tenuet: uel suae stultitiae: uel aliorum / quos inducit ho-
quentes: persona. semper enim cauillatio (procacis
orq; in diuos iocus, est habitus nefarius / siue ex ani-
mo is fiat: seu fiat simulate. Aut deniq; quod ad
eruditionem pertinet) si meam ita se defensionem le-
gisse declararet: ut de ea existimare potuisset. Quā
homo simplicissima calliditate: ut despexisse uideat-
ur: se non legisse: sed degustasse magnifice gloriat-
ur. Quem tamen / licet negantem / & legisse totam / & ac-
curate perlegisse sua (ut uides) ostendit epistola: suaz
q; ob signatae tabellae impudentis: pudendiq; menda-
cy arguūt. Vtq; lecturis despiciatissimam faceret ho-
mo probitate / & modestia insignis: nunq; se illā lec-
turū literis pollicetur. A quo forsan me contempti
putes. quod / perpetua illum oratione / comiter / ac
urbane compellarim. Idque feras si non patienter /
minus tamen moleste. nisi & Italiae doctos / cum iā
eruditione: & pietate spoliasset. statim eosdem sine
exceptione stultitia & improbitate onerasset: ut eor-
peior facta sit conditio, quos, mihi quod erant noti /
illic enumeravi / q; eorum / quos praeterij: aut q; erant
incogniti: aut q; scribenti exciderunt. Sed utinā (neq;
enim possum in publica iniuria / non & priuatam do-
lere) in his quidam hau. ꝑ procul / a me habitans / mi-
hi excidisset: Qui diu: sed male mihi cognitus / mul-
tis licet officijs a me cultus fuerit: ne paucis ante die-
bus quo suis

bus, quo suis uoluptatibus morem gereret, tanq̃ sibi
 insensissimum prodiditrem oculo, hominem taceo,
 crimen innuo, non quo istius famæ parcam: cū sup̃
 ipse honori non parcat: sed ut meæ consuetudini
 pareā. Nec profecto hoc ego loco tam foedū factū
 indicassem: nisi illis, qui istum a me inter doctos rela-
 tum norunt: dolentq̃ talem mihi gratiam relatam,
 patefactum uoluissē, mei me iudicij in isto uno
 poenitere. Illud uero ita retractare: ut non istum mo-
 do indoctum: sed eos omnis doctos: indoctos iudi-
 cem: qui cum gratia: seu autoritate: seu opibus: seu
 his simul omnibus floreat, quo tamen ipsi soli per-
 secte docti uideantur, doctos alios premere palmari-
 um putant. Quos: si humanitas: si sua natura: si do-
 ctrina: si ratio: si ipsa demum futura immortalitas
 gloria non mouet: illud saltem notissimum, uer-
 rissimumq̃, oraculum uerius, quam carmen: Docti,
 indoctos seruabūt, si erunt docti: ad subleuandos bo-
 nae literarum studiosos allicere poterat, trahere des-
 bebat. Id autem non ideo refero: ut te callide ad pul-
 cherimum omnium decus excitem: ad quod tua es
 sponte incitatissimus, sed ut te fideliter moneam: te
 ingenuè, quod priuatis meis rationibus: magis expe-
 dit: meæ naturæ magis congruit, horter, ne illos
 audias: qui aut tibi inuidentes: aut sibi intus canen-
 tes: a solida, & immortalis liberalitatis laude te abdu-
 cere moliantur. Sed redeo ad Erasmiū: Cui ut erudi-
 tissimo: religiosissimo, optimo, prudentissimo des-
 mus: ad breue tamen tempus: plus esse in Italia stul-
 titiæ: & improbitatis: q̃ in Germania. Quam hor-

C

noris causa nomino (neq; enim integravit ipse) p
uinciam, indignis ausim conuitijs uerberare: Quid
illa ne monumeta, quæ ex Italia i Germaniã suo no
mine missa queritur: non ab alijs, q; ab Italis mitti
potuerunt: nonne a Gallis, ab Hispanis, a Græcis, ab
eruditis Germanis, quor; magnus in omni est Italia,
nō paruus in hac ipsa urbe est numerus: mitti potue
runt: quum propius sit uero Germanum: Germā
manum, & Germani stilum imitatū, q; Italum: fuerit
q; id Germão facilius: q; cuius exterarum gentium
erudito: Quasi quotidie talia non fiant a maleuolis
& inuidis: quos ipsa saepe loci uicinitas ipse plerūq;
prærepti luci: laudis ue dolor ad maledicentiã: ad
insidias: ad obtrectionem stimulat. Huc & ea non
leuis ratio accedit: quod in officina: ubi mea defen
sio areis literarū formulis, quo citius in uulgus ema
naret: publicūq; ignauiae dedecus tolleret, imprime
batur: non a Germano modo homine ea mihi est ep
stola reddita: sed duo forte Germani: qui ad eā im
primendam suam mihi operā locauerant: testes ade
rant: cū est reddita A, quor; nominibus exaradis cō
fragosa uocum compositio: asperiorq; sonus abdu
xit, Tabellarij porro nomē Otho: ars medicina. An
solos id Italos patrasse est suspicatus Germāus Era
smus: quod sola Italia Crassos gignat, sola impro
bos pariat: sola (si dijs placet) impios ferat: sola fe
ueat, An non sola: si uentos: truculentissimus Aquil
lo/a quo omne est malum a sola spirat Italia: A sola
me duce: me magistro: detestabiles, execrataq; hare
ses sunt excitata: A sola impia in diuos bella conla

ta: templa in media pace direpta, ad sexcenta suorum
 milia nefario, intestinorum ferro uel in ipsis Templis
 trucidata: sacrae uirgines sacris uiris gratioso ritu
 matrimonio collocatae: neque haec hospitum, aduena-
 rumue fabulis iactata: sed principum oculis spectata:
 sapientium animo execrata: piorum gemitu defleta:
 innocentum sanguine, & interitu tectata: A sola des-
 tum (quis hoc unquam ingenio Italiam putasset) quo-
 tidie fiat: ut qui ad eam bene eruditi accedant: ab ea
 in eruditiones, inelegantioresque recedant: Hinc non te-
 merenoster gloriatur Erasmus: melius latinam linguam
 calluisse, cum Italiam est ingressus: quam nunc calleat:
 quod ego, & non praedicanti tam facile quidem credam:
 sicut mali poematis autori glorianti, se nunquam
 bonos poetas imitatum. Hinc non arroganter risus
 se sibi uisus est Erasmus: Quod ego non, neminem
 Italum plura, & quam ipse scripserit, longe preclariora
 scripturum sperauerim. Cui, si id riserit, quod plura:
 ut octogenario ignoscas: non tamen ut, Germano,
 quem ingenue dicere, & facere addecet, ignoscas: ni-
 bi ingenue fateatur: multos ex Italis, qui sunt illi aeta-
 te longe inferiores: esse & sententiarum grauitas-
 tate, & rerum ubertate, & orationis nitore longe
 superiores: Quas illi tantum uirtutes agnoscunt: quod
 quanti sit quod quisque scribat: non quantum sit, po-
 derant: Illud uero quam insolens: quam importunum (id
 in me de se & Aldo e scriptis Petri haussisse suspicatur,
 Quod (ita uiuam) nunquam antea audiueram, nunquam
 legeram, se decem annis Aldo in literis latinis potuisse
 se esse magistrum: Cui si nihil ipse, multum certe res.

ut magis / hoc
 literaria nostra aetate debeat nam si omnino operam
 Aldo nuncq; dedit: multos profecto annos ei Venie-
 tijs: ut amico, ne ego, quod quidam dicunt, ut do-
 mino dicam, suam operam locauit. At si illud in-
 solens, & importunum: hoc non contumeliosum atq;
 barbarū, me sola hac causa publicare Aiacis more
 porcos pro uiris cedere: quod doluerim, a Lulhero
 impietatis notam Erasmo inustam: nec crediderim
 tamen Lulhero eam Erasmo inurenti. Sed fuerit hoc
 Aiacis Imagine porcos pro uiris inimicis cedere: fu-
 rijs actū Aiacem fuisse constat, cum uiuos, pro uiris
 inimicis, non mortuos porcos, cecidit: At Erasmus
 gratorum hominum grauiissimus: prudentum sapien-
 tissimus, Aldum moreuū iugulat, cuius uini aetate
 annos in urbe, tam libera, tam copiosa, tam singu-
 lari, tot eruditissimis hominibus; tam liberalibus studiis
 affluente, tam liberaliter uixit: tam commode uolū-
 uendis, emendandisq; Grecis, & Latinis monumētis
 sese expoliuit: Hæ igitur tot simul res Princeps am-
 plissimam uanā, tam contrariā, tam barbarā, in
 tā breui prefestim epistola, me mouent, atq; adeo co-
 gunt (ut credam) uel hanc epistolam non esse Eras-
 mi, uel Erasmus non eū esse, quem antea putabam.
 Sed longius me progressum uideo, q̃ existimaram
 mihi licere assidue iam tres menses intento, ut dor-
 mus mea bene, & ratione edificetur, quæ cura ideo
 me acius angit: quod cum malum sim nactus redē-
 ptorem, is accepta pecunia malos etiam fabros con-
 duxit, ut neq; illos (quis putaret) sine damno eijce-
 re; neq; sine damno retinere possim. Ideo non parū

uereor, ne tu, Rutilius, & Constantinus tuorum studiorum socij pomeridianis horis cum Græcæ, Latineq; lectioni satiffecistis, sæpe subridentes sitis iteraturi, Cursj lacubrationem mali magis Architecti cemeta, q̃ boni Rhetoris pigmenta olere. Quūq; id maxime elaborauerit, ut nos secū Erasmi de sua defensione iudicium improbaremus, id contra est cōsecutus: ut suum nos de Erasmi iudicio iudicium improbemus. Quo timore potius, q̃ carminum fiducia, tria Epigrammata, quæ nuper in hac publica laticia effudi, huic adscripsi epistolæ: ut i erroribus i tot simul ædificationibus occupati lubentius cōiunctis.

Philippus Car. Boloniē. ut mihi est uicinus, & meorum est studiorum amator, & fautor eruditorum: hanc uoluit epistolam legere: mandauitq;

ut suo tibi nomine salutem adscribe

rem: hoc eo lubentius feci: quod

is mihi uisus est te magis

amare ut fratrem, quā

ambire ut colle-

gam.

Vale Romæ tertio kl. Septēbris.



Ad Carolum Rom. Imp. uicta Africa.

Regem Asiae Europa si pellis uictor, & Istro:

Africa si terra, si tibi uicta mari est:

India, quæ non nota prius, si peruia Cæsar

Iam tibi: cur Asiam spernis! & illa tua est.

Ad Eundem.

Quam Cæsar uix mille rates, uix mille cohortes,

Quam uix tot lustris, tot domuere Duces:

A te intra mensem Libye trraq, mariq,

Uicta: Asiae quamuis se tucretur op.

Axis uterq tuus, tuus est Occasus, ut Ortus

Sit tuus, hoc cupiunt æquora, terra cupit:

Sol cupit exoricens: ne posthac lætius orbem

Cum moritur, q̃ cum nascitur, irradiet.

Quando obeat

*In Salillum Andreae Auria pacato mari
à Tritone oblatum .*

*Partis Auria tot mari triumphis :
 Dum terram quoq; classibus libyssam
 Inuadis , capis : excitus tumultu ,
 Neptunus sale surgit e profundo :
 Vt salum uidet , ut tuo solum audit
 Pacatum sale : sentit & triumph
 Plausu littora lætius sonare :
 Salsa & marmora blandius moueri :
 Præconem salis aduocat , iubetq;
 Inter carmina militum , salèsq;
 Pusillum hoc tibi porrigat salillum :
 Magni mnemosynon dei haud pusillum .*